DE LEGIONVM PER ALTERVM BELLVM PVNICVM HISTORIA

QVAE INVESTIGARI POSSE VIDEANTVR

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LITERARVM VNIVERSITATE

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PVBLICE DEFENDET

DIE XX MENS. APR. A. MDCCCLXXV

HORA XII

LVDOVICVS SCHEMANN

CAND. PHIL.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

I. BRVNS SEM. PHIL. SOD. ORD.

B. OPPERMANN CAND. IVR.

H. DE ROHDEN CAND. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

THEODORO MOMMSENO

PRAECEPTORI CARISSIMO.

De legionum per alterum bellum Punicum historia qui scribere suscipit, si quaerat, qui sint in ea re potissimum auctores respiciundi, gravissimum et fere unum Livium inveniet. Scilicet secundum hunc, in iis quidem rebus perscribendis, quae ante pugnam Cannensem gestae sunt, Polybii quoque vel maxime ratio habeatur necesse est; earum vero rerum, quae inde sequuntur, non iam exstat continua descriptio in reliquiis operis Polybiani, nec nisi perpauca reperiuntur, quae ad inceptum usui esse possint. Tertio loco numerandus est Appianus; qui tamen, ut omittamus nonnulla, quae quidem ex optimis annalibus hausta esse apparet, minime diligenter perscriptis rebus militaribus tantummodo summas res in illo bello gestas attingit. Quare fit ut de exercitibus plerumque ut paratis ad pugnandum narret, mittat autem quaerere unde exstiterint itemque, quid de iis senatui placuerit quidve iis factum sit post eas res, in quibus describendis singulorum exercituum mentio facienda erat. Quod idem multo magis etiam cadit in Zonaram; quumque omnino uterque, Appianus praecipue, in singularum rerum narratione minus certus saepissime videatur, haud facile ausim horum verbis — sicubi discrepent inter se scriptores — uti ad verba sive Livii sive Polybii refutanda.

Denique Plutarchi quoque, qui in Fabio Maximo et Marcello nonnullas res in illo bello gestas narravit, obiter mentio faciunda est. Qui quum ea tantum, quae ad vitam illorum imperatorum pertinerent, collegerit, minus accurate et ipse de singulis exercitibus scripsit eamque ob causam exigui momenti ad propositum nostrum putandus est.

Longe aliter Livius. Qui praeterquam, quod in ipsis rebus narrandis permulta profert de singulis legionibus accuratiora, antequam uniuscuiusque anni res gestas ordine enarret, nominatis magistratibus maioribus provinciisque, quae singulis obtigerint, omnes exercitus, quibus eo anno bellum gestum est, et residuos ex superioribus annis et recenti dilectu conscriptos enumerat additque, quid de singulis senatui placuerit. Cuius rei causa ea est, quod Livius, ut Romanus, maiore cum diligentia de iis rebus disserere solet, quae urbanae vulgo dicuntur, contra scriptores Graeci, Appianus, Dio Cassius, Zonaras, res illas multo minus respexerunt, Polybius denique, ut qui non urbis Romae, sed universi orbis terrarum historiam scriberet, ibi tantum res urbanas attigit, ubi aut ad formam rei publicae Romanorum illustrandam, aut ad narrandas res gestas necessario pertinerent.

Quodsi constat, ad singularum legionum historiam multo maximi momenti esse Livium, primum necesse est cognoscamus, qualis Livianae narrationis diligentia sit et fides.

Et ea quidem, quae initio uniuscuiusque anni dicit de provinciis et exercitibus ceterisque rebus, de quibus in senatu actum est, omnia fere ex eodem fonte hausta videntur. Illae enim res omnes, quas urbanas dicimus, antiquitus conscriptae erant in annalibus pontificum [1]; ex iis igitur, quicunque postea annales scripserunt, repetiverunt, quae de illis rebus tradunt. Quum vero non eandem semper diligentiam scriptores in transscribendis pontificum annalibus adhibuerint, factum est, ut alia minus accurate explanata esse, alia parum sibi constare aut etiam plane sibi repugnare videantur. Et de singulis quidem, quae huc pertinent,

---

1) de iis cf. Mommsen, Roem. Gesch. ed. 5, I, 464 sqq. Teuffel, Roem. Literat. ed. 2, p. 116 sqq., Nissen, Krit. Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Decade des Livius p. 86 sqq.

postea nobis erit agendum. Ad tempus vero satis erit significasse nonnullas indiligentias, quae per universam Livianam narrationem alterius belli Punici latius patent. Velut cum numeris legionum, quos singulis exercitibus perlustratis Livius edidit, nonnunquam minus conveniunt ipsae enumerationes. Deinde interdum non satis liquet, utrum legiones nescio quae dimissae an etiamtum, ut in armis, in rationem inducendae sint. Rursus de aliis copiis, num omnino pro legionibus adnumeratae, aut certe quot legiones adnumeratae sint, exploratum non est. Insignis autem inconstantia apparet in iis legionibus, quibus in Hispania bellum gestum est. Eae enim ab initio belli usque ad annum 543 a. u. c. non in summam copiarum Romanarum adscriptae sunt, ab illo anno sunt. Quam inconstantiam scientem et prudentem admisisse Livium ex eo colligas, quod illo anno missis in Hispaniam et claris imperatoribus et subsidiorum magno numero impigre bellum redintegratum est magisque in dies, praesertim quum capta Capua in Italia consisteret quodammodo bellum, res Hispanienses oculos animosque hominum in se converterunt. Sed nusquam ne minima quidem significatio Livii legitur, qua de causa aliam rationem ante annum 543, aliam postea secutus sit. Immo sibi ipse conscius mutatae rationis non videtur fuisse. Quin commemoratis duobus Scipionibus (25, 3, 6) — qui quamquam iam inde ab anno 537 in Hispania exercitui praeerant, semper tamen in perlustrandis exercitibus praetermissi sunt — fieri non potest quin etiam legentium animi confundantur. Prorsus enim apparet — quod infra videbimus, cf. p. 48. 49. — in numero trium et viginti legionum, quem tradit Livius l. l., copias Scipionum non esse adnumeratas [1]).

Praeter pontificum autem annales, ex quibus ea maxime, quae initio uniuscuiusque anni legimus de exercitibus Ro-

---

1) Aliter censet Weissenbornius, qui eas copias pro duabus legionibus in ratione ducit.

manis, congesta sunt, alios quoque auctores progrediente narratione secutus est Livius. Qui et ipsi inter se et cum pontificum annalibus saepenumero minus conveniunt. Ceterum de plerisque, quae aut a pontificum annalibus, aut ab aliis auctoribus, aut etiam ab utrisque repetita inter se discrepant, omnino non laborasse Livius videtur; quare permultas inconstantias ut perspicere possumus, ita tollere nequimus, satisque habebimus, si nonnullis sententiis nostris fidem aliquam fecerimus, ad certum vero ut redigamus, rarius nobis eveniet.

Iam si quaerimus, quanam ratione facillime id, quod petimus, assecuturi simus, res ipsa ferre videtur, ut duplicem viam ingrediamur. Etenim eius temporis, quo nondum copiae Romanorum multifariam dispergebantur, sed magni semper exercitus in unum cogebantur, donec postremo omnes fere, qui in armis erant, in campo Cannensi occisi sunt, — illius, inquam, temporis legiones cunctas sub uno aspectu ponere haud difficile est. Aliter res sese habet post pugnam Cannensem. Novi enim exercitus, qui post illam cladem conscripti sunt, in provinciis plane diversis bellum gesserunt; complures uno tempore belli sedes fuerunt, denique magni exercitus in unum locum contracti non iam reperiuntur praeter eum, quo Capua obsessa et alterum, quo Hasdrubal ad Metaurum victus est, qui uterque numero prope accedit ad magnum illum exercitum Cannensem. Itaque res monet, ut deinceps ad singulos exercitus variosque casus, qui eis acciderunt, animum referamus; quorum primum locum obtineant necesse est legiones eae, quae Cannenses per totum bellum appellatae sunt, ut quae et in priore et in posteriore velut actu huius belli partes suas egerint nec nisi finito bello de scena decesserint. Postremo vero, si singula spectaverimus, innisi et iis, quae ex Livio ceterisque auctoribus perspexerimus, et iis, quae nobis ipsis explorare contigerit, omnes exercitus, quibus per universum bellum res publica Romana gesta est, in unum conferemus.

Iam igitur si eos exercitus percensere volumus, qui usque ad pugnam Cannensem bellum gesserunt, primus spectandus est is exercitus, qui sub P. Scipione ad Trebiam pugnavit.

Livius, quo loco agit de belli apparatibus, qui in annum 536 facti sint, (21, 17) sex legiones decretas esse dicit, ita ut binas consules illius anni acciperent, duabus Gallia occuparetur. Addit illo loco, Scipioni minus copiarum datum esse, quam Sempronio, quia in easdem fere regiones [1]), in quas Scipionem, validum exercitum sub Manlio praetore senatus missurus fuerit. Nihil enim aliud significat „mittebatur", quam si dixisset Livius „missuri erant"; uno igitur tempore et consules et Manlius profecturi fuisse videntur. Iam quum planis verbis commemoratum sit, divisam inter duos imperatores in illis regionibus, i. e. in Gallia et Hispania, belli administrationem causam fuisse, cur alterius consulis exercitus imminueretur, existimare facile possumus, aliquanto maiorem fuisse Sempronii exercitum. Cui tamen opinioni minime res ipsa respondet. Nam praeter exiguam manum sociorum, quibus superabat collegam Sempronius, plane nihil interfuit inter utrumque exercitum. Quumque Livium ipsum non fugerit, sane infirmum esse ad probandum illud „minus copiarum", id addidit, navium maxime numerum Scipioni imminutum esse, quibus quidem verbis magnum discrimen inter terrestres copias fuisse ipse negat. Iam vero nostro iure quaerimus, qui fieri potuerit, ut exercitus terrester in Galliam missus causa exsisteret classis Scipioni imminuendae. Immo, quae vera causa fuerit, cur minor classis in Hispaniam mitteretur, statim Livius significat, quum dicit: „neque enim mari venturum aut ea parte

1) „et ipse" enim, quod dicit Livius (§ 7), cum Weissenbornio sic intellegimus: „weil wenigstens im Ganzen die Richtung eine gleiche war, wie die des Scipio, entgegengesetzt der des Sempronius", quod postea his verbis explanatur: eodem versa in Punicum bellum.

belli dimicaturum hostem credebant." Ut autem deminutio illa prorsus in dubium nobis vocanda videtur, ita ne ea quidem offensione vacant, quae paulo post Livius dicit: „duas legiones Romanas . . . . Gallia provincia habuit", quoniam hoc loco de ea re solum agendum erat, quantae copiae illo tempore ad bellum apparatae sint; in quarum numero Livius etiam Manlianas illas legiones fuisse vult, dicit enim „L. Manlius praetor mittebatur . . ."

Quam difficultatem ut expediamus, prius locum Polybii (III, 40), alium deinde Livii cognoscere oportet. Polybius enim l. l. Manlium cum una legione iam occupasse Galliam dicit, priusquam consules egrederentur, quod factum est ineunte aestate (Pol. III, 41, 2). Deinde quum Manlius a Bois magnam cladem accepisset, legiones, quae Scipioni decretae erant, duce praetore, cuius nomen Polybius non edidit, in Galliam submissae sunt, novumque exercitum Scipio conscribere iussus est. Similia his narrantur a Livio (21, 25—26). Manlius enim, qui nondum profectis Roma consulibus cum exercitu Galliam tenet, Mutinae coloniae, quae in periculo erat, auxilium laturus in insidias cadit maximoque detrimento afficitur [1]). Cui deinde G. Atilius praetor cum altera legione Scipionis consulis subsidio mittitur, novamque Scipio in locum eius legionis conscripsit. Ex his duobus locis, quorum communem fontem fuisse recte monet Kellerus [2]), summa efficitur haec: primum constat, Manlium ineunte aestate Galliam iam cum praesidio obtinuisse, deinde exercitum eius sive una sive duabus Scipionis legionibus auctum esse. — Quodsi haec certa sunt, iam revertamur ad ea, quae supra dixit Livius (c. 17): „Scipioni minus copiarum datum, quia L. Manlius . . . . mittebatur."

---

1) Bis eandem rem — i. e. impetum in Manlium factum — narrare Livium in capite 25 recte nobis dicere videtur C. Peter, „Livius und Polybius" Halle, 1864 (p. 13).

2) „Der zweite punische Krieg und seine Quellen" p. 177.

Quae quidem verba ad arbitrium suum admiscuisse et, quemcunque auctorem illo capite secutus est, eius narrationem immutavisse Livius videtur. Plane enim non dubium est, quin deminutio consularis exercitus, de qua agit illo loco, nihil aliud sit, quam auxilium sub Atilio in Galliam missum. Quae autem res in errorem Livium induxerit, facile intellegi potest: scilicet, quum illa scriberet, iam apud alium illum auctorem legerat, ad Manlium de Scipionis exercitu auxilium missum esse, quo factum est, ut plane aliena confunderet.

Iam in eo dissentiunt Livius et Polybius, quod Livius initio statim anni sex legiones confectas, Polybius ab initio quattuor tantum legionibus more usitato conscriptis [1]) postea demum novo dilectu numerum legionum auctum esse censet. Quorum multo nobis praestare ad fidem videtur Polybius. Romani enim, qui, ut ex omnibus apparet, quantam vim seditiones Gallicae habiturae essent ad imminentis belli eventum, illo tempore nondum intellexerant, nonnisi calamitate docti a consuetudine sua, qua duobus consularibus exercitibus binarum legionum bella gerebant, revocati videntur esse. Quare minorem curam Galliae initio fuisse facile credemus, verique simillima est Mommseni [2]) sententia, Manlianum exercitum initio Scipioni decretum fuisse, ut in Hispaniam eum duceret.

Iam numerus legionum, quae in Gallia fuerint, in dubium venit. Polybius l. l. quartae legionis mentionem facit, nec repugnat sententiae, u n a m legionem initio in Gallia fuisse, locus Livii (c. 25—26). In eo vero minus conveniunt, quod Livius unam legionem sub G. Atilio praetore submis-

---

1) Eam enim legionem, quae in Gallia erat, quam *τέταρτον στρατόπεδον* appellat Polybius (III, 40, 13) consularem fuisse vel ex eo adducimur ut putemus, quod, ut infra demonstrandum erit (cf. p. 44), quattuor primae legiones uniuscuiusque anni consulum erant.

2) R. G. I [5], p. 584.

sam esse retulit, Polybius contra (III, 40, 14) dixit: τὰ μὲν τῷ Ποπλίῳ προκεχειρισμένα στρατόπεδα . . . ἐξαπέστελλον et postea: ἄλλα δὲ συνάγειν . . . . Quae quidem verba Polybii minus accurate dicta esse censebit, qui duos locos Livianos respexerit. Nam primum quidem rursus regrediendum est ad verba illa (cap. 17): „duas legiones Romanas Gallia provincia habuit", quae non apte dicta esse illo loco supra iam commemoravimus. Quemadmodum igitur ante vidimus, deminutionem copiarum Scipionis per errorem positam esse pro auxilio postea in Galliam misso, sic etiam duabus illis legionibus statum Galliae post missum sub Atilio auxilium recte significari putamus, ita ut haec quoque verba in fontem, quem illo capite secutus est Livius, immixta sint.

Alter vero locus, quo sententia illa, duas omnino legiones in Gallia fuisse, confirmatur, reperitur c. 63, 15, quo loco duas legiones sub Atilio fuisse Livius plane et dilucide dicit. Quare aut per errorem, aut per neglegentiam Polybium τὰ στρατόπεδα dixisse pro una legione statuimus et Mommseno assentimur, qui [1]) unam legionem prius sub Manlio, alteram deinde sub Atilio in Galliam missam esse censet.

Scipio postquam Gnaeum fratrem cum maxima parte exercitus [2]) in Hispaniam misit (Liv. c. 32, 3), ipse a duobus praetoribus duarum legionum exercitu accepto quam celerrime poterat ad Padum contendit et deinde cum Hannibale ad Ticinum acie conflixit. Post hoc proelium alter consul Sempronius, qui etiamtum in Sicilia erat, in Africam traiecturus, copias suas cum Scipione coniunxit (Liv. c. 51, 5—7. Pol. III, 68). Sequitur pugna ad Trebiam facta. Ex qua mediam tantum aciem Romanorum maxima ex parte

---

1) R. G. I [6] p. 595.

2) Pol. III, 56, 5 et Appianus Hispan. c. 14 omnem exercitum missum referunt.

Placentiam effugisse et Livius et Polybius narrant. Quorum numerus fuit milia decem, eosque postea dispersae manus et equitum et peditum secutae sunt. (Liv. c. 56, 2 sqq. Pol. III, 74, 4 sqq.) Utrius vero exeıcitus illa decem milia fuerint, discerni non potest, propterea quod nec Livius nec Polybius accuratius descripsit, quo ordine milites in illa pugna instructi fuerint. Post pugnam Scipionem praesidia castrorum et alias nonnullas manus Placentiam, inde Cremonam duxisse Livius narrat c. 56, 8. Qui discessus Scipionis a Placentia ita videtur intellegendus, ut uterque consul, Scipio Cremonae, Sempronius Placentiae, suarum legionum reliquiis praefuerit.

Iam quaerendum nobis est, qui fuerit exercitus G. Flaminii ad lacum Trasumennum. De quo plane non convenit inter auctores. Quin etiam Livius ipse minime sibi constat, qui, quum initio capitis 63 commemorarit, eas tantum copias, quae Placentiae hibernarint, i. e. Sempronianas legiones, Flaminio sorte evenisse, in eodem illo capite plane et dilucide dicat (§ 13), utrumque exercitum eum accepisse. Appianus (Hann. c. 8) Servilium, consulem alterum, ad Padum — i. e. Cremonae — a Scipione traditum imperium accepisse dicit, quod si conferimus cum priore illo loco Liviano (c. 63 init.), id videtur effici, ut binas uterque consul legiones superioris anni acceperit [1]). Eas autem legiones supplemento expletas et denuo constitutas esse ut rei ipsius natura existimandum est, ita colligi potest ex verbis Polybii (III, 75, 6. 77, 1.), qui utrumque consulem cum novo exercitu Roma profectum dicit, in Etruriam [2]) Flaminium, Servilium Ariminum, atque adeo nihil omnino adicit de superioris anni exercitibus consularibus. Iam id venit in dubium, numquae legiones novae conscriptae sint

1) Mommsen R. G. I. p. 600.

2) Rectissime Weissenb. monet, per errorem in capite 63. Ariminum a Livio dictum esse pro Arretio.

praeter supplementa illa et eas legiones, quae in Sardiniam, Siciliam, Hispaniam missae sunt — de quibus postea erit agendum. Quod negat Mommsenus l. l. Attamen complures causae sunt, cur ab eo dissentiamus. Nam primum quidem, quod Livius (c. 63, 15) duas legiones a Sempronio, duas ab Atilio Flaminium accepisse dicit, sane fide dignum non videtur; ceterum his verbis, quamquam per errorem ea dicta esse concedimus, tamen adducimur ut credamus, Livium apud aliquem auctorem quattuor legiones, quibus Flaminius praefuerit, invenisse; quod deinde duas eum ab Atilio accepisse dicit, id errore esse factum. Quattuor autem legiones Flaminio fuisse propterea etiam putamus, quia Appianus (Hann. c. 8), postquam dixit, tredecim omnino fuisse legiones Romanas — in quo optimos sine dubio auctores secutus est — hoc addidit: *τὰ πλέονα δ' ἦγον ἐπὶ τὸν Ἀννίβαν οἱ ... ὕπατοι.* Non enim *τὰ πλέονα* — i. e. maiorem partem copiarum novo dilectu conscriptarum — dicere poterat, si supplementa tantum in quattuor legiones essent conscripta. Nec omnino numerus ille tredecim legionum effici computatione potest, nisi quattuor legiones Flaminium habuisse statuimus. Denique haec sententia confirmabitur, si, quae de numero militum ab auctoribus in describenda pugna ad Trasumennum facta tradita sunt, respexerimus. Nam ut Appianum omittamus, qui unus discrepat ab aliis, et Polybius (c. 84, 7), et Plutarchus (Fab. Max. c. 3.) et Livius (22, 7, 2) quindecim milia in acie caesa esse referunt, captos Polybius et Plutarchus item quindecim milia, sparsos denique fuga Livius decem milia addit. Quod apud Livium nihil omnino de captivis legimus, permirum videtur, nec certe credere possumus, eos plane ab eo esse omissos. Immo, quod Carolus Peterus [1]) coniecit,

---

1) „Livius und Polybius“ p. 33. Causa Peteri gravissima est quod aliis in rebus omnibus Plutarchi cum Livio, quem potissimum auctorem ab eo adhibitum esse docet p. 59 sqq., summa consensio sit.

proxime ad verum accedere videtur, deesse illo loco (c. 7, 2) post verba: „quindecim milia in acie caesa“ haec: „totidem capta“, ita ut universus numerus eorum, qui ad Trasumennum lacum pugnaverint, quadraginta milium efficiatur. Quod autem Livius decem milia hominum ex clade effugisse dicit, minime nobis in animo est contendere, re vera hunc eorum fuisse numerum, sed id solum pro certo habemus, decem milia fuisse eorum, qui nec in ipsa pugna interfecti nec capti sint. Quid vero iis factum sit, ad certum quidem redigere non possumus; suspicari certe licet. Nam praeterquam quod ne Polybii quidem narratio obstat, quominus aliquem numerum, extremi praesertim agminis, elapsum esse putemus, id non videtur neglegentia praetereundum, quod, ut Livius quindecim milia in acie caesa esse dicit, ita et Polybius alios vult esse eos, qui per vallem pugnantes occiderint, alios, qui per lacum foede perierint. Et illos quidem dicit quindecim ferme milia fuisse, horum numerum non edidit — sed haudscio an non prorsus inane sit, quod tradit Appianus — qui non disiunxit duo illa genera mortuorum —, viginti milia omnino cum Flaminio interfecta esse. Ex omnibus igitur, quae disceptavimus, quattuor legiones Flaminio tribuendae videntur, quarum duae fuerunt eae, quae Placentiae hibernaverant, duas cum supplementis Roma secum abduxit Flaminius.

Servilium consulem, quemadmodum iam supra commemoravimus, Appianus (c. 8.) duarum legionum Cremonensium reliquias accepisse significat, quas et ipsas magnopere auctas esse constat (cf. Pol. III, 75, 6). Quod autem Appianus (c. 10) quadraginta milia — i. e. quattuor legiones — fuisse Servilio dicit, minime fide dignum videtur neque ullo alio loco, ne ipsius quidem Appiani, confirmatur. Immo ex Liv. 22, 27, 10 non amplius duas legiones fuisse colligi potest, quum Fabii dictatoris exercitus adiecto Serviliano quattuor legionum fuerit.

Sequitur illud tempus, quo Q. Fabius Maximus dictator

contra Hannibalem rem gessit. Quem Polybius (III, 88, 7) quattuor legiones conscripsisse dicit, neque repugnant, quae Livius tradit (c. 11)[1]. Id autem parum constat, utrum cum quattuor legionibus dictator profectus sit, quod dicit Polybius l. l., an duabus Romae relictis duas tantum eduxerit (Liv. c. 11, 3. c. 27, 10). Et nobis quidem praestare videtur, quod Livius narrat; etenim post pugnam ad Trasumennum lacum non id solum Romanis agendum erat, ut quam maximi exercitus emitterentur, qui acie cum hostibus confligerent, sed, quum communis omnium metus exstitisset, ne Hannibal victor urbem ipsam obsideret, haec et ipsa valido praesidio erat firmanda. Quare nisi per errorem lapsus est Polybius, ita videtur interpretandum esse, quod dicit c. 88, coniunctos esse Servilii cum Fabii militibus, ut quattuor legiones dictatoris, quae *ἐκ τοῦ καιροῦ* conscriptae erant, proficiscentes Roma non iustum suum numerum habuisse, sed ex Serviliano exercitu optimo quoque electo completas esse statuamus. Qui deinde reliqui erant militum — quam *παραπομπὴν* dicit Polybius — eos a Servilio Romam reductos novoque dilectu ad duarum legionum numerum auctos esse conici potest. Utut autem res se habet, quattuor tantum legiones in castris dictatoris fuisse ut ex Livii planissima narratione, ita ex ipsius Polybii verbis apparet (c. 107 extr.): *οὐ μόνον τέτταρσιν, ἀλλ' ὀκτὼ στρατοπέδοις . . . προῄρηντο διακινδυνεύειν*[2].

Quae deinde per illum annum Fabio primum et Minucio

---

1) duas enim legiones se adiecturum ad Servilianum exercitum dictator dicit, ad quas accedunt (§ 7, § 9) copiae, quae in urbe remanserunt, quae duae videntur fuisse (cf. p. 17) praeter legionem classicam (Liv. c. 57, 7).

2) Minime vero ex illo loco colligendum videtur, omnino ex illo demum anno (538) plus quattuor legionibus in Italia belligeratum esse. Immo octo legiones ei exercitui, qui tum contra Hannibalem in armis erat, opponuntur; sex legiones iam ante pugnam ad Trasumennum factam sub consulibus fuisse non negat illis verbis Polybius.

ducibus, deinde Regulo et Servilio consulibus evenerunt, disputationem non desiderant. Insequenti autem anno etsi sane perspicua res esse videtur, tamen percaute de novo dilectu Livius agit (c. 36). Dicit enim: decem milia novorum militum alii scripta in supplementum, alii novas quattuor legiones, ut octo legionibus rem gererent; numero quoque peditum equitumque legiones auctas ... quidam auctores sunt. Sed et ex iis, quae disserit Polybius (c. 107) et ex numeris, qui alias de exercitu Cannensi reperiuntur, apparet, tria illa senatui placuisse, i. e. octo legiones quinorum milium peditum, trecenorum equitum confectas esse, quae contra Hannibalem pugnarent. Ad quas accedunt novae legiones urbanae (Liv. 23, 14, 2). Quid autem superioris anni legionibus urbanis factum sit, parum constat; quae tamen haudscio an fuerint Gallicae legiones (Liv. 23, 24, 8) [1], quae sub L. Postumio missae paulo post pugnam Cannensem cum duce deletae sunt, (ib. § 6—13) — quas quidem novo dilectu conscriptas esse nec legimus usquam, nec verisimile est propterea quod etiamtum Servilio et Regulo consulibus, i. e. anno 537 Postumius missus est (Polyb. III, 106, 6). Quod autem Livius significat (23, 24, 8), cives Romanos tantum in illis legionibus fuisse, ad quos deinde in agro Umbro et Piceno socii adiecti sint, plane convenit cum nostra sententia, fuisse hunc exercitum eundem, quem urbanum Livius 22, 11, 9 appellavit.

Exercitus Cannensis, qui nunc nobis spectandus est, ex duabus partibus compositus erat, veterum militum et tironum; utraque autem pars quattuor legionum erat. Et illi quidem maxima ex parte fuerunt — praeter eos, qui ad Trebiam pugnaverant — ii milites, quos superiore anno Servilius et Fabius conscripserant; ad quos accessisse vi-

1) Unam tantum legionem missam esse Polybius tradit (c, 106, 6). Fortasse exercitum urbanum, sociis nondum adiectis, pro una legione habuit, qui deinde post accessionem sociorum haudscio an in duas divisus sit.

dentur captivi, quos permutatos esse Liv. (22, 23, 7) et Plutarchus (Fab. Max. c. 7 extr.) narrant. Quum autem eae legiones diutinis proeliis magnam iacturam accepissent, novorum quoque militum magnus numerus iis adiectus est (cf. Liv. c. 36, 2). Quodsi Livius (c. 40, 7) copias Romanorum parte dimidia auctas esse dicit, numerum legionum solum respicit — erant enim quattuor novorum, quattuor veterum militum —, nulla eius rei ratione habita, quod veteribus quoque legionibus novi milites immixti erant; sin alio loco (c. 41, 5) legimus: duas prope partes tironum, haec verba edocent, quot in universo exercitu et veterum militum et tironum fuerint. Universum vero numerum eorum, qui apud Cannas pugnaverint, Polybius (III, 113, 5) octoginta milia peditum, sex equitum, Plutarchus duodenonaginta milia (Fab. Max. c. 14), Livius (c. 36, 4) [1]) septem et octoginta milia et ducentos fuisse dicit. Apparet igitur, ferme congruere numerum inter auctores [2]). Ceterum plane non eadem consensio est de iis, quae in pugna evenerunt, et imprimis, quot homines interfecti sint, ut conveniat, nullo modo effici potest. Subdubitans Livius (c. 49, 15): Quadraginta quinque milia quingenti pedites, duo milia septingenti equites caesi d i c u n t u r — in quo tamen id miramur, quod numerum tam accurate ediderit; contra Appianus (c. 25) et Plutarchus (Fab. Max. 16) numero summatim comprehenso quinquaginta milia caesa referunt. Quibus omnibus repugnant verba Polybii (III, 117, 4): *εἰς ἑπτὰ μυριάδας ἔπεσον εὐγενῶς*, quae quidem nobis prorsus pro explorato habenda esse videntur. Nam nimis eum auxisse numerum in tanta re praesertim haud fere quisquam existimet, qui reputaverit, quam non fuerit levitas animo Po-

---

1) Quae verba utrum ab ipso Livio oriunda, an insiticia sint, nihil nobis refert; si enim insiticia sunt, prorsus tamen recte computata apparet, quae Livius singillatim antea dinumerarat.

2) Unus discrepat Appianus, qui septuaginta milia peditum, sex equitum fuisse dicit (Hann. c. 17).

lybii insita. Hoc igitur si constare putamus, septuaginta milia in pugna Cannensi caesa esse, facile acquiescere possumus in hac sententia, Livium narrationem eiusmodi esse secutum, quae scriptori Romano minus horrenda videretur, quippe qui vel illi numero multo minori cum aliqua dubitatione „dicuntur caesi" addiderit.

Vehementer autem offendimus in iis, quae paulo ante apud Polybium leguntur (117, 3): *ἐκ δὲ τῶν πεζῶν μαχόμενοι μὲν ἑάλωσαν εἰς μυρίους, οἱ δ' ἐκτὸς ὄντες τῆς μάχης.* Nam nemo fere erit quin miretur, quonam tempore aut quo loco in illa pugna decem milia hominum capi potuerint. Immo ex omnibus, quae de ea tradita sunt, apparet, quam atrociter pugnatum sit quantaque caedes ubique fuerit, nec usquam — et vel minime in ipsius Polybii narratione — ulla mentio fit, maiorem militum manum in ipsa pugna hosti sese dedidisse. Itaque multo minores sunt numeri Plutarchi, qui quattuor milia, et Livii, qui tria milia peditum, mille quingentos equites captos esse tradit (c. 49, 18), ne hic quidem omissa voce illa, quae dubitationis videtur: dicuntur capta. — Iam paene certum videtur, verba illa Polybii depravata esse; minime enim recte inter se opposita sunt *μαχόμενοι μὲν . . . εἰς μυρίους . . . οἱ δ' ἐκτὸς ὄντες.* Immo numerus aliquis exspectatur eorum, qui extra pugnam capti sint. Qui fuerint autem *οἱ ἐκτὸς ὄντες*, ex iis, quae sequuntur (§ 7 sqq.) discimus. Maximus numerus fuit eorum, quos praesidio castris Aemilius Paullus ante pugnam reliquerat, qui, si tempus daret, in castra Hannibalis impetum facerent; quorum duo milia caesa, octo milia capta sunt. Accedunt duo milia, quae Cannas (*ἐπὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν ἐρύματα* Polyb.) confugerant, ubi ab equitibus Numidis circumventi sunt (cf. Liv. c. 49, 13). Universus igitur numerus eorum, quos captos esse Polybius demonstrat, decem milium fuit. Iam plane perspicuum est, non potuisse septuaginta milia interfici, decem milia in ipsa pugna, decem post pugnam capi, tria milia elabi (c. 117, 3), quum

Polybius supra universum exercitum milium sex et octoginta fuisse dixerit. Haec igitur omnia respicientibus paene exploratum nobis est, verba *εἰς μυρίους*, quae quam non sint apta loco ei quo traduntur, docuisse nobis videmur, locanda esse post haec: *οἱ δ' ἐκτὸς . . . . μάχης*. Quae vero post *ἑάλωσαν μαχόμενοι* exciderint, de ea re videtur dubitari posse. Fuisse aliquem minorem numerum ex eo colligas, quod Livius quattuor milia et quingentos, Plutarchus (Fab. Max. c. 16) quattuor milia edidit. Sed quum vel maxime nobis in dubium vocandum videatur, num omnino in pugna captivi facti sint, haudscio an non nimiae audaciae sit conicere, omnino non definitum fuisse aliquem numerum, sed eiusmodi quid esse scriptum a Polybio: *μαχόμενοι μὲν ἑάλωσαν οὐδένες* — sive *ὀλίγοι* —, *οἱ δ' ἐκτὸς ὄντες τῆς μάχης, εἰς μυρίους*.

Iam ad ea, quae Livius de his rebus retulit, nos conferamus. Is igitur illam manum, quam praesidio castris relictam Polybius narrat, initio cum reliquo exercitu egressam esse censet; dicit enim (c. 49, 13): tum undique effuse fugiunt; septem milia hominum in minora castra, decem in maiora, duo ferme in vicum ipsum Cannas perfugerunt [1]). Deinde postquam ex utrisque castris quinque ferme milia Canusium incolumes pervenerunt (Liv. c. 50, 11. 52, 4), reliqui omnes, i. e. duodecim milia hominum, per pactionem arma tradiderunt (c. 52, 2. 4). Ad illos autem, qui Canusium ex castris confugerant, postea accesserunt quattuor milia et quingenti, qui ex ipsa pugna sparsi erant (Liv. c. 54, 1); itaque ad decem milia hominum Canusii fuisse Livius dicit (c. 54, 4. 56, 2. App. Hann. c. 26. cf. Liv. c. 54, 6: aliqua species consularis exercitus). Si vero Polybius dicit (c. 117, 3): *ἐξ αὐτοῦ τοῦ κινδύνου τρισχίλιοι μόνον διέφυγον*, praetermisisse tantum, non negasse videtur,

1) Cui loco sane repugnant, quae c. 59, 9 dicuntur, ut quae aliunde sumpta videantur.

alios praeter illa tria milia in castra primum, sive maiora, sive minora, deinde Canusium elapsos esse. Quod Appianus quoque tradit (Hann. c. 26); quamquam multa alia, quae illo loco legimus, minus conveniunt cum Liviana narratione. Ut igitur unum in locum cogamus, quae de Cannensi exercitu pro certo nobis habenda videantur, haec fere sunt: ad septuaginta milia caesa, decem milia capta sunt, ad decem milia Canusium effugerunt.

Iam igitur eo pervenimus, ex quo ea via, quam adhuc secuti sumus, relinquenda nobis est, proinde ac belli gerendi plane alia ratio ex illo tempore fuit. Singularum enim aut binarum legionum exercitus per se ipsos rem gerentes in armis per multos annos fuerunt; eorumque quum uniuscuiusque propria memoria exstet, singulos deinceps perlustremus oportet. Qua in re, ut iam supra dictum est, initium nobis capiendum erit a legionibus Cannensibus.

Eas igitur haud multo post cladem Cannensem Marcellus accepit (Liv. 22, 57, 8. 23, 25, 7. c. 31, 4). Adiecta iis est et legio classica, quae priore iam anno conscripta esse videtur (cf. Liv. 22, 11, 7—9.) et fortasse pars aliqua novorum militum supplementorum loco, quibus utrisque Cannenses ut robora legionum opponuntur 23, 16, 8. Non multo autem post is exercitus rursus disiunctus est, quum atroci senatus consulto ii, qui ex clade Cannensi effugerant, in Siciliam mitterentur (23, 25, 7). Ceterum una cum iis in Siciliam venerunt ex Iunii dictatoris exercitu qui minimi roboris esse viderentur (ib. § 8) aliosque postea in supplementum iis legionibus missos esse conicere licet. Qui ut condicionibus tam duris ipsi adstricti non erant, ita compluribus locis ab illis discernuntur, velut 26, 1, 7. 8: dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem . . . negasset. Eum igitur exercitum in Siciliam duxit Appius Claudius (23, 31, 4); deinde sub variis ducibus per complures annos in Sicilia remansit. Neque tamen militibus Cannensibus concessum videtur esse, ut ulli proelio

interessent (25, 6, 17. Plut. Marc. 13) [1]. Quod enim per Marcellum a senatu petiverunt, ut in eo saltem cum ceterarum legionum condicione sua aequaretur, praecise iis negatum est (Liv. 25, 7, 3). Socii tristis fortunae iis adiuncti sunt, qui supererant ex clade, quam Gn. Fulvius praetor anno 542 in Apulia acceperat (Liv. 26, 1, 9); deinde postea — anno 545 — accesserunt reliquiae haud exiguae eius exercitus, quem superiore anno sub Fulvio Centumalo proconsule Hannibal maximo detrimento affecerat (27, 7, 12. 13. c. 8, 13), ii quoque iisdem condicionibus, quibus illi, adstricti. Iam iusto maiorem numerum duarum legionum fuisse suspicari possumus (cf. Liv. 27, 8, 15: egregie suppletae legiones); quare quum ad illud tempus duo exercitus in Sicilia fuissent — de quorum altero paulo post nobis agendum erit —, inde ab illo anno solae illae legiones Cannenses praesidio insulae remanserunt [2]). Quarum fortuna tandem aliquando in melius conversa est, quum anno 550 Scipio velut vindex in Siciliam venit in Africam traiecturus. Is enim Cannenses praecipue milites ad exsequendum consilium adhibuit, non sane ea de causa, qua commotum esse Scipionem Livius censet 29, 1, 13. c. 24, 12 — nam sub Marcello quidem in Sicilia omnino non, in Italia nonnisi perexiguum temporis militaverant —; immo recte Scipio intellegebat, quum in eo, ut quam fortissime dimicarent, una spes iis esset posita, se cum illis multo maiora perpetrare posse, quam cum ullo alio exercitu. Quum vero praesidio Siciliae aliquae copiae relinquendae essent, et ex legionibus Cannensibus et ex suis voluntariis eos, qui minus idonei

---

1) Repugnant sane, quae dicuntur 29, 24, 12. Praestantiora tamen ad fidem illa videntur, quum in nulla gravioris momenti re legionum Cannensium mentio facta sit.

2) Quae legimus apud Livium 29, 22, 12 (ii exercitus, qui in Sicilia erant) et c. 24, 8 (quas potissimum legiones in Africam traiceret) minus diligenter videntur dicta esse.

viderentur, segregavit, ita ut duae legiones senorum milium et ducenorum peditum, trecenorum equitum exsisterent (Sic enim intellegendum videtur, quod dicit Livius 29, 24, 13, 14). Quanto autem exercitu Scipio in Africam traiecerit. neque 29, 25 init., neque alias Livius commemoravit. Appianus (Libyc. 13) transmissos esse peditum sedecim milia, equites mille et sexcentos, apud Zamam pugnasse tria et viginti milia peditum, mille et quingentos equites tradidit. Confecto bello omnem exercitum Scipio domum reduxit (Liv. 30, 45).

Non alienum videtur, post legiones Cannenses ceteros exercitus percensere, qui per illud bellum in Sicilia rem gesserunt. Et earum quidem legionum, quae anno 537 in insulam missae (Pol. III, 75. App. Hann. 8) [1]) iam anno 539 in Italiam revocatae sunt, hoc loco obiter tantum mentio est facienda, utpote quae in Italia tantum res memorabiles confecerint. Iam igitur venimus ad eum exercitum, quo Marcellus Syracusas expugnavit. Et Marcellus quidem eum exercitum, quem post missas in Siciliam legiones Cannenses acceperat, — erant autem duae ex iis legionibus, quae post pugnam Cannensem conscriptae per annum 538 Romae remanserant — praesidio ad tuendam Nolam retento sub hiemem domum dimisit (Liv. 23, 48, 2). Verisimillimum autem est, eas legiones peracta hieme denuo sub arma vocatas esse; quumque, ut ex Liv. 24, 11. perspicimus, duorum exercituum, qui anno 540 novi educti sunt, — nam tertii, quae fuerunt legiones urbanae, hoc loco ratio non habenda est — alterum Marcellum accepisse necesse sit, conicere certe licet, veteres legiones rursus Marcello evenisse. Quod eo magis adducimur ut credamus, quia complura sunt exempla, quibus clarissimos duces, velut Fabium, Gracchum,

1) Omisit hoc dicere Livius, qui tamen significat, praesidia Romana in urbibus insulae fuisse 21, 49, 7. Revocatas legiones narrat 23, 31, 4. c. 32, 2.

ipsum Marcellum, eundem exercitum per complures annos retinuisse intellegimus.

Eo igitur exercitu Marcellus primum in Campania, per aliquod tempus cum Fabio collega coniunctus, bellum gessit. Quum autem in Sicilia magis in dies animi hominum sollicitarentur nec id solum timeretur, ne cum Syracusanis bellum gerendum esset, sed in ipsa provincia Romana nonnullas urbes novis rebus studere appareret, duplici imperio coërcere insulam senatui placuit. Quoque celerius bellum, quod imminebat, conficeretur, Marcello, ut qui dux esset spectatissimus, Siciliam provinciam decreverunt. Qui quum per aliquod tempus valetudine adversa Nolae retineretur, partem exercitus iam praemisisse in Siciliam videtur, quam absente eo Appius Claudius duxit [1]). Alteram autem legionem, quam secum abduxisse ex Italia consulem ipsum putare poteramus, paulo post submissam esse Livius dicit c. 36, 4. Supplementorum mentionem facit 26, 1, 7.

Quae autem legimus apud Livium (26, 1, 12): „T. Otacilio et M. Valerio Siciliae Graeciaeque ora cum legionibus classibusque, quibus praeerant, decretae ... centum Sicilia cum duabus legionibus habebat naves“ — ea per errorem videntur dicta esse. Etenim Otacilium — qui annis 537 et 538 duabus legionibus, quae in Sicilia erant (cf. p. 23. 28.), praefuisse videtur, — inde ab anno 539 classem solam obtinuisse ex omnibus locis perspicimus, quibus Livius mentionem eius fecit (velut 23, 41, 8, 9. 24, 8, 14. 25, 31, 12, alias); et quoniam legiones illae duae nusquam nec antea nec postea commemorantur, facile patet, non alias eas fuisse ac Marcelli, de quibus modo egimus, legiones.

---

1) Plut. Marc. 13: *Ῥωμαίων ἦν ἐκεῖ προαπεσταλμένη δύναμις καὶ στρατηγὸς Ἄππιος.* cf. Liv. 24, 29, 4. c. 30. 1. Appium non prorogato a senatu imperio legiones Cannenses, quibus priore anno praefuerat, Cornelio Lentulo tradidisse apparet ex Liv. 24, 10, 5. Post adventum Marcelli legatus eius fuit (c. 39, 12).

Attamen aliquid veri quum in illis verbis inesse videatur, sic statuimus, Marcellum de provincia decedentem — quod secundum Liv. 26, 21, 1 exitu aestatis factum est — primum Otacilio legiones suas tradidisse, eumque, donec mortuus est, imperium tenuisse; post mortem demum eius M. Cethegum in Siciliam cum imperio missum esse. (Huic enim Apulia provincia evenerat, Liv. 25, 41, 13.) Qua re factum est, ut bis eaedem legiones a Livio commemorarentur. Ceterum Cethegus initio anni 544 exercitum dimisit (Liv. 26, 28, 10).

Quum autem nondum satis pacata insula videretur, novo exercitu eodem illo anno sub Valerio Laevino occupata est, de quo accuratius infra nobis agendum erit. Post illum vero annum solae legiones Cannenses praesidio in insula remanserunt (p. 22). Quae posteaquam maxima ex parte cum Scipione in Africam transmissae sunt, insulam obsederunt et ii, qui a Scipione relicti erant, et supplementa anno 551 missa (30, 2, 1), quorum tamen pars dimidia postea in Italiam revocata est (30, 27, 9). Siculorum quoque — quos iam sub Valerio militasse Livius (27, 8, 15) dicit — aliquem numerum etiamtum in exercitu fuisse verisimile est. Eae igitur copiae, quae coniunctae duas legiones videntur effecisse (30, 27, 8. c. 41, 2), usque ad finem belli in Sicilia remanserunt.

Iam perspectis exercitibus, qui per illud bellum in Sicilia fuerunt, ad eos nobis transeundum est, qui post pugnam Cannensem in Italia rem gesserunt. Quorum eos prius cognoscamus oportet, qui iam ante pugnam conscripti erant. Sunt autem duo, alter, quem Terentius Varro, alter, quem Valerius Laevinus anno 539 obtinuit. Et Varronis quidem exercitus ex quibus copiis compositus fuerit, ex Livio plane non perspicimus; nihil enim dicit (23, 25, 11) nisi hoc: „de eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet . . .“ Quum autem ex eo loco pateat, Varronem, postquam per aliquod tempus Romae remansit (Liv. 22, 61, 13. 23, 14, 2)

illo ipso anno 538 exercitum accepisse, quumque de Marcelli exercitu c. 31, 4 — initio anni 539 — dicat Livius: „quae ibi legiones essent, erant autem Cannensis maxime exercitus“ [1]), nec iam legionis classicae, quam et ipsam in exercitu Marcellus habuerat (Liv. 22, 57, 8) mentionem ullo loco fecerit, proxime certe ad verum accedere videtur coniectura, qua eam legionem ad praesidium Apuliae Varroni traditam esse censemus.

Quae sententia plane confirmabitur, si ea, quae sequuntur, respexerimus — quae parum perspicue sane et ipsa a Livio narrata sunt. Nam quod dixit 23, 25, 11: „neque de exercitu quicquam minui (placuit)“, impugnare ipse videtur c. 32, 16, quum dicit: „Valerium praetorem in Apuliam ire placuit ad exercitum a Terentio accipiendum“, siquidem verba illa — neque de exercitu ..... quicquam minui — recte ita intellegimus, ut integram illam legionem Varroni relictam esse significent. Quibus verbis (32, 16) id sane veri potest inesse, Valerium per id tempus, quo nondum legiones ipsi decretae ex Sicilia advenerant — Varro autem in agro Piceno dilectum habebat c. 32, 19 — legioni Varronianae praefuisse, postea autem rursus legatum Varronis L. Apustium imperium accepisse (cf. c. 38, 9). Veri autem similius nobis videtur, per errorem illa verba a Livio iniecta esse, ut cuius animo iam tunc commutati postea inter utrumque ducem exercitus obversarentur. Nam — quod vel maxime confirmare videtur nostram sententiam, classicam eam legionem fuisse — gravi periculo a Philippo Macedonum rege imminente Varronis exercitum, quem L. Apustius Tarentum [2]) duxerat (cf. Liv. 23, 32, 16 cum c.

1) Quod dicit Liv. Cannensis maxime exercitus, ad supplementa referendum videtur, quae novorum militum erant.

2) Tarentum et in ceteras urbes maritimas eius regionis praesidia anno 537 missa Polybius memorat III, 75, 4, legionemque eam fuisse poterimus existimare, si legiones anni 537, quas tredecim fuisse Appianus dicit (Hann. c. 8) computaverimus cf. p. 46. Eos igitur

38, 9), P. Valerius, Valeri praetoris legatus (cf. c. 32, 17. c. 38, 7) in naves imposuit de Philippi consiliis exploraturus. Quae quum eiusmodi esse pateret, ut classi Romana in illis regionibus opus esse videretur, M. Valerius praetor tradito ipsius exercitu L. Apustio, Varronis legato, a P. Valerio legato Tarenti classem cum legione accepit (cf. *23*, 38, 10. 11. *24*, 10, 4. c. 11, 3). Deinde, postquam per aliquod tempus Calabriae litoribus praesidio fuit, (24, 40, 2) anno 540 in Graeciam transmisit, relicto duorum milium praesidio, quemadmodum dicit Livius 24, 40, 5, quo loco aut omissum esse aut excidisse videtur nomen urbis, in qua relictum praesidium sit [1]). Per insequentes deinde annos Valerius exercitui praefuit (24, 44, 5. 25, 3, 6. 26, 1, 12), donec anno 543 Sulpicius consul ei successit (26, 22 init.). Is autem postero anno, quum iam validiore exercitu opus esse non videretur, dimissis terrestribus copiis socios tantum navales retinere iussus est (26, 28, 9). Quodsi nihilominus 27, 7, 15 Livius dicit: „Sulpicio eadem legione eademque classi Macedoniam obtinere iusso" —, oblivio eum videtur cepisse illius senatus consulti, nec vero in perlustrandis exercitibus insequentis anni (27, 22, 10) mentio ulla illius legionis facta est.

Ceterum quod (27, 32, 2) quattuor milia armatorum in terram exposita esse Livius memorat, praeter milites, quos pro classiariis Sulpicius retinuisse videtur, ex sociis Romanorum maxima ex parte illum numerum confectum esse censemus [2]).

---

milites, qui Tarenti erant, primum — aliqua certe ex parte — in naves imposuisse P. Valerius legatus videtur, in quorum locum haudscio an Varroniani milites successerint Tarentum.

1) Legionem classicam a Valerio parte eius exercitus auctam esse, quem Apustio tradidit, verisimillimum est. Is enim exercitus, qui duarum legionum fuerat, paulo post in unam est imminutus (cf. infra p. 28).

2) Iterum Graeciam cum una legione occupavisse P. Sempronium

Iam sequuntur eae legiones, quarum compluribus locis nobis mentio facienda erat, quae, conscriptae anno 537, usque ad annum 539 in Sicilia fuerunt (p. 23. 24). Eo autem anno primum Romam revocatae sunt (23, 25 10. c. 31, 4. 32, 2), deinde sub Valerio in Apulia bellum gesserunt (c. 32, 17. c. 37, 12)[1]. Sub hiemem vero a Luceria Brundisium cum exercitu Valerius profectus est, ut Calabriae litora tueretur (c. 48, 3). Deinde postquam in locum eius exercitus legionem classicam, quemadmodum supra vidimus, accepit, eodem etiamtum anno 539 Apustius, Varronis legatus, in Picenum illum exercitum duxisse videtur; dicit enim Livius (24, 11, 3): „placuit . . . Terentio proconsuli ad Picenum relinqui". Ceterum quum iam antea ex earum legionum numero aliquantum copiarum alteri urbano exercitui adiectum erat[2]), tum decedens ex Calabria Apustius ad Valeri exercitum navalem augendum aut etiam ad firmandas urbes maritimas partem aliquam exercitus reliquisse videtur (p. 27). Postero certe anno ad unam eas legiones redactas cognoscimus ex Liv. 24, 10, 3 (cf. c. 44, 5); quam tamen iustum numerum excessisse necesse est. Qua de causa scriptis in eam supplementis rursus duae legiones factae sunt (25, 3, 4)[3]. Cum iis igitur Claudius Nero Suessulam in locum Fulvii Centumali profectus est (c. 3, 2), postea autem ad Capuam accessit (c. 22, 7), cui urbi obsi-

---

proconsulem Livius narrat 29, 12, 2. Quae tamen legio eodem statim anno (549) pace facta in Italiam reducta videtur esse. Insequenti enim anno in provinciis Graecia non adnumeratur (c. 13).

1) Legatum eius fuisse Ti. Sempronium (Liv. 23, 37, 10. 11.) recte conicere videtur Weissenbornius.

2) Liv. 23, 25, 10.

3) Nam quod Livius dicit: „legiones, quae . . . in Piceno sub Terentio fuissent" et deinde addit, Neronem in eas supplementa scribere iussum esse: per errorem, vel ut ita dicam, per πρόληψιν duas legiones memorat. Ipsis enim supplementis duarum legionum numerus effectus est.

dendae, donec capta est, interfuit. Id vero postquam evenit, cum maiore parte copiarum Nero in Hispaniam missus est (26, 17, 1); qui supererant, dimissi videntur esse.

Transeundum iam est ad eos exercitus, qui post pugnam Cannensem coacti sunt, quorum primum spectare oportet eum, quem M. Iunius dictator haud ita multo post pugnam eduxit. Qui compositus erat quum ex legionibus urbanis, quae initio anni a consulibus conscriptae erant, tum ex servis, qui, quum voluntarii ad militiam se obtulissent, publice redempti (22, 57, 11), et ex noxiis, qui cogente necessitate liberati sunt (23, 14, 3). Sociorum quoque mentionem facit Livius (c. 14, 2) — nisi forte praestat cum Weissenbornio sic censere, ex civibus Romanis, qui in agro Piceno et Gallico domicilia habebant, eas cohortes confectas fuisse, — quorum tamen numerum magnum non posse fuisse perspiciemus, si ad octo milia volonum, sex milia noxiorum duas legiones urbanas, — quae non multo minores decem milium existimandae videntur — addiderimus. Is igitur exercitus initio anni 539 divisus est, ita ut Q. Fabius duas urbanas legiones, volones Ti. Gracchus acciperet, cui additos esse sociorum viginti quinque milia Livius auctor est (23, 32, 1). Cui noxii evenerint, non dicit Livius; quum autem compluribus locis (23, 35, 7. c. 36, 2. 24, 16, 8) veteres milites, qui in Sempronii exercitu fuerint, commemorentur, haudscio an huic duci noxii dati sint. Omnes enim, quos praeter eos dictator in exercitu habuerat, proxime conscriptos fuisse scimus. Contra plane verisimile est, ex noxiis eos potissimum esse electos, qui iam stipendia fecissent. Iam vero, quae de divisis exercitibus Livius retulit, permira videntur. Nam vel si noxios Fabio relictos esse statuimus, tamen summum septendecim milia accepisse potest; contra Sempronium duplicem fere numerum obtinuisse patet (25000 + 8000). Minime autem intellegitur, quam ob causam tantum discrimen inter consulares exercitus factum sit et imprimis, cur alteri consuli socii non sint adiecti.

Quare nos quidem aut erratum Livii inesse in illo loco (c. 32, 1) aut lectionem mendosam esse censemus. Omni autem dubitatione liberamur, si socios illos non uni Sempronio decretos, sed divisos et ipsos inter utrumque consulem esse statuimus, ita ut Fabio praeter legiones urbanas et cohortes ex agro Piceno Gallicoque confectas pars dimidia sociorum, pars altera cum volonibus et noxiis Sempronio evenerit. Quae sententia plane convenit cum more usitato Romanorum, quo par ferme numerus civium et sociorum — peditum certe — in exercitibus erat.

Fabius postquam per annum 539 in Campania bellum gessit, ad Suessulam in hiberna exercitum deduxit (23, 48, 2). Insequenti deinde anno sub eodem Fabio in Campania primum, deinde in Samnio eae legiones fuerunt (24, c. 12. c. 14 init. c. 19. 20). Anno 541 a patre ad filium imperium transiit, qui in Apulia rem gessit (c. 46. 47). Deinde autem hoc solum dicit Livius (25, 3, 3): alter consul a Q. Fabio, alter a Fulvio Centumalo exercitum acciperet. Deinde postquam usque ad ante diem V. Kalend. Maias Romae remanserunt (c. 12 init.), paulo post iam utrumque consulem in Samnio invenimus (c. 13 init.). Uter autem utri exercitus evenerit, ex iis, quae eiusdem capitis § 9 continet, apparere videtur: „qui quum inter se comparassent, ut alter in Campaniam exercitum duceret, Fulvius, cui ea provincia evenerat, profectus ...“ Quibus verbis significari videtur, Fulvium legiones Centumali, quae superiore anno in Campania fuerant, accepisse. Itaque Fabianas, quae in Apulia erant, Appio Claudio evenisse necesse est. Eae igitur legiones Capuam urbem, donec capta est, obsederunt (25, 15, 18. c. 18. 19. 20. 22, 5. 26, 1, 2). Quarum dux Appius vulnere ad Capuam accepto (26, 8, 9) post captam urbem mortuus est (c. 33, 4). Legatos eius paulo post Romae fuisse cognoscimus (ib. § 5). De legionibus vero quid decretum sit, parum constat. Quarum quum nec in perlustrandis exercitibus anni 541 (26, 28)

nec omnino postea ullam mentionem fecerit Livius, verisimillimum est, eas iam, antequam de exercitibus et provinciis in senatu ageretur, dimissas esse — nisi forte, quemadmodum paulo ante Neronis exercitus maxima ex parte in Hispaniam traductus erat, ita postea Claudiani exercitus robora cum Scipione in illam provinciam missa esse putandum est. Id certe non dixit Livius, Scipionis copias novo dilectu conscriptas fuisse.

Iam ad Gracchi exercitum transimus, qui ex quibus copiis compositus fuerit, supra demonstravimus. Gracchus igitur anno 539 in Campania et Apulia (23, 35—37. 48, 3. 24, 10, 3. 11, 3.), insequenti deinde anno in Samnio cum exercitu fuit, ubi magna victoria ad Beneventum parta, quicunque supererant ex volonibus, eos libertate donavit. Ex Lucania deinde, qua in provincia per annum 541 videtur fuisse (24, 47, 12. cf. 25, 15, 20), postquam Capua obsideri coepta est [1]), profectus cum parte copiarum per Lucanum quendam proditus et interfectus est (Liv. 25, 15. 16). Cuius morte perculsi volones, qui nonnisi propter ducis amorem in armis ad id tempus remanserant, dilapsi sunt (c. 20, 4). Ii autem, qui praeter volones in Gracchi exercitu fuerant, quos in Lucania a Gracchò relictos esse Livius (c. 15, 20) commemorat, a Gn. Cornelio quaestore sunt abducti. Quumque multo maior ea pars exercitus esset, verisimillimum videtur, Romam eam rediisse, ut supplementis scriptis duarum legionum iustus numerus denuo efficeretur. Quodsi Livius (c. 19, 4), quo loco de obsidione Capuae agit, hoc dicit: „procul conspectus S e m p r o n i a n u s e x e r c i t u s, cui Gn. Cornelius quaestor praeerat", conicimus, Romam copias reducturum Cornelium Capuam praetergressum esse. Ceterum de eo, quid postea de legionibus iis decretum sit, suspicari tantum, minime vero certa investigare possumus (cf. p. 37).

---

1) „ne Beneventum sine praesidio esset." L. 25, 15, 20.

Sed praeter dictatorium illum exercitum, ex quo duo consulares facti sunt, alios etiam post pugnam Cannensem confectos esse cognoscimus ex Liv. 22, 57, 8, 9. Dicit enim, coactis omnibus, qui arma ferre potuerint, quattuor legiones effectas itemque socios earum conscriptos esse. Quod deinde loco posteriore, quo de dictatoris exercitu disserit (23, 14, 2) nihil omnino de illis legionibus dictum sit, mirum videri potest et offendit in eo Weissenbornius, qui neglegentia Livium eas praeteriisse censet. Sed omissae hoc loco ideo videntur, quod, quamquam aut prius aut certe eodem tempore confectae erant, quo servi publice redempti, noxii liberati, tamen non eodem tempore contra hostem ductae sunt. Immo, quum iuniorum maxime et vel praetextatorum illas legiones fuisse Livius (22, 57, 9) dicat, per aliquod tempus in urbe eas retinere senatui videtur placuisse, ut quae minus etiamtum idoneae ad belligerandum essent. Itaque nullos omnino milites ex earum numero in exercitu dictatoris fuisse statuendum est. Egressis autem urbe legionibus urbanis, quas dictator secum abduxit, illae quattuor legiones omnes urbanae sunt appellatae: 23, 25, 9. c. 31, 3. 5. Quibus locis quae commemorantur legiones urbanae, plane non eaedem nobis videntur esse, immo duo exercitus sunt binarum legionum urbanarum, quorum alter — de quo agitur in capite 31 — Marcello evenit, quemadmodum supra (p. 23) vidimus quaeque postea ei acciderint, cognovimus. De duabus autem legionibus, quae reliquae erant, quid decretum sit, non perinde ac de illis constat. Quas initio alteri consuli, qui in locum Postumii suffectus esset, decretas esse Livius dicit 23, 25, 9; quumque deletis cum ipso duce Postumii copiis plane vacua ab exercitu esset Gallia, conicere possumus, alterum consulem cum exercitu in eam provinciam in locum Postumii mittere initio senatui propositum fuisse. Sed mutato senatus consulto non consuli quidem illae urbanae legiones evenerunt, sed nihilo minus in Galliam videntur missae

esse: nam initio anni insequentis sub M. Pomponio in ea provincia eas fuisse cognoscimus ex 24, 10, 3. 11, 2. Quod autem Livius (23, 25, 6) dicit: Galliam omitti eo anno placuit, non prorsus repugnare videtur. Sane quidem id consilium, quo consularem exercitum in Galliam missuri erant, omiserunt; facileque putare possumus, per maximam partem anni 539 Galliam sine praesidio fuisse remanentibus etiamtum Romae illis duabus legionibus. Sub exitum vero anni in Galliam eas missas esse paene pro certo habemus. Ibi igitur usque ad annum 543, sub M. Pomponio primum, deinde sub Sempronio Tuditano, fuerunt. Sed inde ab anno 544 tenere iam earum vestigia non possumus. Livius enim (26, 28, 4) hoc solum dicit: „exercitus consulibus duo decreti, qui in Etruria Galliaque essent, eae quattuor erant legiones"; nec deinde ullam ansam habet narratio Liviana, qua planius, utri consulum ille exercitus evenerit, perspici possit [1]. Quare confusis inter se illis exercitibus nonnisi de eo exercitu agere possumus, cui anno 544 Marcellus, et de eo, cui eodem anno Laevinus praefuerit — quae autem legiones fuerint, in incerto relinquendum est. Quod propterea minus aegre ferendum videtur, quia per complures annos coniuncti duo illi exercitus bellum gesserunt. Ceterum prius de Etruriae duabus legionibus pauca addenda sunt. Quae postquam anno 541 conscriptae ad praesidium urbis reman-

1) Nam quod equites Etruscos commemorat Livius 27, 26, 11 sqq., pro argumento esse eo minus potest, quia ne perspicere quidem possumus, utrius exercitus illi fuerint. Deinde ex iis, quae Plutarchus (Marc. c. 28 init.) narrat — Marcellum postremo inito consulatu in Etruria per aliquod tempus fuisse — colligat aliquis, Marcello anno 544 Etruriae legiones evenisse eumque, ut supplementa sibi scriberet, in eam provinciam profectum esse. Quod argumentum et ipsum eo infirmius est, quia in neglegentiae insimulationem vocandus esse Plutarchus videtur: quippe quem necesse sit quintum consulatum — quem gessit Marcellus anno 546 — pro quarto scripsisse.

serunt (24, 44, 7), per duos deinde annos sub M. Iunio in Etruria fuerunt (Liv. 25, 3, 4).

Eorum igitur exercituum consularium alter sub Marcello per insequentes annos contra Hannibalem pugnavit (26, 38, 6. 11. c. 39, 4. 27, 2, c. 12—14. c. 22, 2. c. 26 sqq.), donec anno 546 Marcellus prope Venusiam interfectus est. Deinde exercitum eius filius Venusiam duxit (c. 29 init.). Altero exercitu Valerius Laevinus, quod reliquum belli in Sicilia erat, Agrigento capto confecit (26, 40. 41). Per annum 545 Fulvius Flaccus, qui Capuam expugnaverat, iis legionibus praefuit, quem in Lucania fuisse cognoscimus ex Liv. 27, 15, 2. T. Quinctius consul, cui anno 546 evenerunt, postquam suas legiones cum altero exercitu consulari in Apulia coniunxit (c. 25, 13), et ipse calamitati interfuit, qua Marcellus absumptus est et postea Capuam se recepit (c. 29, 2). Inde autem paulo post exercitum Tarentum videtur abduxisse (c. 39, 3. 6.) et in ea urbe mortuus esse. Postero anno — 547 —, quo in eodem discrimine, quo initio belli, rursus res Italiae fuerunt, quum consulibus copia facta esset, et eligendi ex omnibus exercitibus, qui maxime idonei viderentur, et supplendi, unde vellent, G. Nero consul ex utroque consulari exercitu superioris anni suum exercitum coëgisse dicitur (Liv. c. 40, 14). Quum vero quadraginta milia peditum, duo milia et quingentos equites ex duobus exercitibus electos esse minime sit verisimile — is enim numerus quattuor legionum est, nec intellegimus, quae fuerint reliquae copiae, quas Q. Fulvio proconsuli Hostilius tradere iussus est —, maiore fide nobis digna videntur, quae legimus c. 38, 8 — quamquam non ipse Livius enarrat, sed alter consul invidens collegae dicit —: „collegam ex duobus consularibus exercitibus et tertio, cui Q. Claudius Tarenti praeesset, electionem habere.“ Nam non sine ulla causa tertii illius exercitus mentionem factam esse ex eo colligimus, quod tam diligenter, vel potius dicam tam ieiune additum est: cui Q. Claudius Tarenti praeesset —

quae quidem verba non consulis declamantis, sed auctoris nescio cuius, quem Livius illo loco secutus est, videntur esse.

Ceterum post pugnam ad Metaurum factam consulis exercitum rursus imminutum esse apparet ex Liv. 28, 10, 10., ubi duas tantum legiones fuisse dicit. Eae igitur duae legiones, postquam per annum 548 et partem anni 549 Caecilius Metellus iis praefuit, ineunte hieme eius anni dimissae sunt pernicioso morbo imminente (29, 10, 3. 11, 9). De Fulvii autem exercitu, quem per annum 547 in Lucania fuisse cognoscimus ex 27, 42, 17, quid in annum 548 decretum sit, ex Livio frustra quaerimus. Omnino quaecunque ad historiam legionum pertinent, multo minore cura sub finem belli a scriptore sunt tractata, quam prioribus annis — nimirum ut tempore ipsius belli non iam proinde atque antea omnium animi ad res, quae in Italia gerebantur, intenti erant, post illam praesertim pugnam, qua de universi belli eventu decertatum est, ita Livio quoque minus cordi fuit, quid singulis legionibus evenerit. Ceterum de Fulviano exercitu suspicari certe licet. Quum enim postero anno (548) in perlustrandis exercitibus Livius (28, 10, 15) Claudio Tarentum provinciam evenisse dicat, aliquem exercitum ei ad praesidium urbis fuisse statuendum est, quemadmodum iam antea cum exercitu idem Claudius Tarentum obtinuerat (27, 36, 13. 38, 8). Facile igitur putare possumus, Fulvii exercitum, electione Neronis consulis ad unam legionem redactum, Tarentum traductum esse [1]).

Iam ad eos exercitus venimus, qui anno 540 conscripti sunt, qui duo fuerunt praeter eum, quem a Marcello acceptum sive potius receptum supra (p. 23) demonstravimus. Quorum alteri illo anno Q. Fabius praetor, insequenti (541) M. Aemilius praetor Luceriae praefuit (24, 12, 6. 20, 8. 44, 2). Anno deinde 542, quo tot casus adversi Romanis

---

1) Quae legio haudscio an fuerit eadem, quae anno 549 in Graeciam transmissa est. cf. p. 27, 2. p. 52.

acciderunt, hic quoque exercitus deletus est. Quem sub Gn. Fulvio Flacco circa Herdoneam adortus Hannibal maxima ex parte cecidit; qui supererant, a consulibus contracti (25, c. 22, 2) legionibus Cannensibus adiecti sunt (26, 1, 9. 10).

Sequuntur eae legiones, quae per annum 540 praesidio urbi fuerunt (24, 11, 3). Cum iis postero anno Gn. Fulvius Centumalus Suessulam in locum Marcelli, qui in Siciliam missus erat, successit (24, 44, 3). Eo deinde anno, quo Capua obsideri coepta est (542), Q. Fulvio Flacco consuli evenisse videntur (cf. p. 30). Is fuso fugatoque ad Beneventum Hannonis exercitu (25, c. 13—15) una cum collega ad oppugnandam Capuam legiones duxit (c. 15, 18). Capta vero Capua unam ex duabus legionibus fecit, dimissis, quemadmodum Livius dicit, iis, qui plurima stipendia haberent [1]). Quod quidem ita intellegendum videtur, ut Flaccus eos, qui anno 540 conscripti erant, maxima certe ex parte dimiserit, contra ii, qui post illum annum in supplementum missi, in armis remanserint. Minus enim apte „plurima stipendia" Livius dicere videtur de eiusmodi exercitu, qui per tres annos tantum foris rem gessit. Nisi forte praestat cum Weissenbornio sic statuere, ex quattuor legionibus, Appii Claudii et Q. Fulvii, unam esse factam, quarum quidem Claudii duae legiones post pugnam Cannensem statim eductae erant poteratque optimo iure de iis dici: „qui plurima stipendia haberent . . ." Ceterum una illa legio ex eo tempore sub variis ducibus, inde ab anno 547 sub Hostilio Tubulo Capuae fuit (27, 7,. 10. c. 22, 4. c. 36, 13. 28, 10, 15. 29, 13, 6). Quo tempore cum Hasdrubale decertatum est, Romam ad praesidium urbis videtur arcessita esse (27, 43, 8). Post annum vero 550 quum non iam commemoretur, dimissam eam esse putamus.

Supra iam nobis narranda erat earum legionum, quae

---

1) Liv. 26, 28, 7, 8.

anno 541 conscriptae sunt, historia (p. 33 sq.). Duae autem novae legiones anni 542 Romae, ut assolebat, per illum annum remanserunt [1]). De insequentis vero anni (543) novis exercitibus coniectura tantum colligere possumus, quippe quum plane non laboraverit de iis Livius, qui (25, 41. 26, 1) nec de consularibus exercitibus nec de novis urbanis legionibus quicquam dicit. Ceterum verisimillimum videtur, alterum consularem exercitum fuisse urbanarum legionum superioris anni (25, 3, 7), alterum adiectis supplementis ex iis copiis factum esse, quas post Ti. Gracchi mortem quaestor eius Romam reduxerat (cf. supra p. 31). Quorum exercituum alterum certe initio statim anni sub Cethego praetore (25, 41, 13) in Apuliam missum esse conicimus, quippe quae provincia post Centenii et Fulvii Flacci clades prorsus vacua ab exercitibus esset. Quum vero illo anno Hannibal urbem ipsam adgrederetur, per magnam partem anni uterque consul Romae remansit. Quibus exercitum fuisse Livius (26, 10, 2) censere videtur, quum contra non Appianus solum (c. 39: *οἰκεῖον οὐδὲν ἔχοντες ἱκανόν*), sed etiam Polybius (IX, 6) nullas adfuisse copias dicat. Quae res quomodo se habuerit, pro certo quidem dici non potest; sed haudscio an praeter illas novas legiones, quas eo maxime tempore conscriptas esse Polybius narrat, alter etiamtum consularis exercitus Romae fuerit — qui sane, siquidem fuere reliquiae exercitus Semproniani necdum illo tempore supplementa scripserant consules, perexiguus potest fuisse. —

1) Ut nihil omnino omittamus, Centenii quoque mentionem hoc loco inicimus, cuius exercitus eodem anno 542 temere inito proelio in Lucania plane deletus est (Liv. 25, 19, 9 sqq.). Eius casum prorsus alieno loco narrat Appianus (c. 9). Ceterum in iis quoque, quae de eo Livius l. l. tradidit, haud fere quisquam erit, quin vehementer offendat. Verisimillimum nobis quidem esse videtur, Centenium ad exercitum sive Gracchi sive Flacci praetoris augendum cum aliquot milibus missum esse, deinde receptis undique voluntariis sua sponte belligerasse.

Ceterum eodem illo anno, quum iam duobus consulibus in Apulia non opus esse videretur, alter consul Sulpicius Galba in Graeciam in locum Valerii Laevini successit (26, 22, 1). Exercitus autem eius duarum legionum in Galliam initio anni insequentis missus est (26, 28, 4) isque deinde in ea provincia sub variis ducibus usque ad finem belli remansit. Anno 547 pugnae ad Metaurum factae sub Porcio praetore interfuit (Liv. 27, 46 sqq.). Anno 553 iterum consularis exercitus factus est (30, 40, 16); nec tamen, quae cum eo gesserit Aelius Paetus consul, usquam invenimus.

Alter vero consul anni 543 Gn. Fulvius Centumalus cum legionibus insequenti anno in Apulia remansit, ubi oppressus ab Hannibale cum maxima parte copiarum interfectus est (Liv. 27, 1). De ea clade quae narrat Livius, mirum in modum congruunt cum iis, quae legimus de interitu exercitus, cui Fulvius Flaccus praetor praefuerat (25, 21). Quamobrem, quod nonnunquam Livio accidit, ut bis eandem rem temere narraverit, hoc quoque loco factum esse putaverit aliquis [1]). Et re vera Appianus Fulvii proconsulis tantum cladem narrat c. 48 (quem ὕπατον per errorem dicit fuisse). Cui tamen sententiae graves causae sunt quae repugnare videntur. Nam ut concedamus, exercitum posse eundem fuisse — nimirum, si Flaccum praetorem anno 542 clade affectum non esse aliquis statuat, poterat Fulvius Centumalus consul insequenti anno exercitum eius accipere — id igitur ut concedamus, tamen ex iis, quae de duobus Fulviis compluribus locis Livius retulit, non eundem fuisse casum plane apparet. Nam non solum diversos eorum exitus fuisse Livius demonstrat — Flaccum enim praetorem die dicta in exsilium abiisse (26, c. 2. c. 3), Fulvium Centumalum proconsulem interfectum esse narrat (27, 1) —, sed etiam u t r i u s q u e e x e r c i t u s reliquias legionibus Can-

---

1) Sic censere videtur Weissenb. ad 25, 21, 1., qui confert c. 18, 3., quo loco et ipso bis eandem rem narratam esse demonstrat.

nensibus adiectas esse significat 26, 1, 9. 27, 8, 13. Quodsi id ipsum quoque per errorem bis narratum aliquis iudicet, at ea certe repugnant, quae Livius dicit 27, 1, 9. 27, 7, 13., quibus locis plane et diserte duorum Fulviorum clades disiungit. Minime igitur, ut alias, fugisse Livium ipsum videtur, se res inter se simillimas narrare; quamquam id negari certe non potest, Livium nonnulla, quae cadebant in Fulvium praetorem, in Fulvium proconsulem non cadebant, ex priori narratione in posteriorem transtulisse. Velut quod dicit (27, 1, 5): „neglegentia insita ingenio ducis", vel § 7: „pari audacia, consilio et viribus impar." Quamobrem nobis quidem proconsulem occisum damnare minime licet, immo ad fortunam potius iniquam clades eius referenda est, quam ad temeritatem aut neglegentiam.

Anno 543 novas legiones urbanas conscriptas esse cognoscimus ex Liv. 26, 28, 4; quae haudscio an fuerint eae legiones, quas Polybius (IX, 6) sub adventum Hannibalis consules coëgisse dicit. Quas anno 544 in Etruriam missas esse Liv. l. l. narrat. Insequenti deinde anno Q. Fabius consul (27, 7, 9) cum iis Tarentum recepit (c. 15. c. 16). A quo anno 546 Q. Claudio praetori traditae sunt, qui per annos 546. 547 circa Tarentum cum iis fuit (27, 29, 6. c. 36, 13. c. 38, 8). Quemadmodum iam supra demonstravimus, verisimile videtur, Q. Claudium aliquantum copiarum ad exercitum Neronis consulis anno 547 contulisse (p. 34). Deinde anno 548 illae legiones sub Veturio consule (28, 11, 12), 549. 550 sub Licinio in Bruttiis fuerunt (28, 46, 2. 29, 13, 3. c. 36, 6 sqq.), in qua provincia usque ad finem belli sub P. Sempronio (30, 1, 3), G. Livio (30, 27, 7), Valerio Faltone (30, 41, 1) eas remansisse videmus.

De exercitu, quem M. Livius consul habuit in pugna ad Metaurum facta, hoc dicit Livius (27, 35, 11): exercitum e duobus, qui in Gallia quique in Etruria esset, addito urbano eligeret, quem mallet, qui Galliam esset sortitus. Quem quidem locum, qui respexerit verba „quem mallet", sic in-

telleget, ut statuat, alterum duorum exercituum, qui in Gallia et Etruria erant, — i. e. Etruriae duas legiones; nam, quae in Gallia erant, sub Porcio praetore fuisse supra iam (p. 38) vidimus — Livium sibi sumpsisse eique exercitum urbanum adiecisse, ita ut quattuor legiones haberet. Cui tamen sententiae non solum repugnat, quod dicit Liv. 27, 36, 12: ut binae consulum essent, sed id quoque de ea nos deicit, quod, si quattuor legiones Livio fuisse statuimus, computatae legiones illius anni non conveniunt cum eo numero, quem edit Livius l. l. — quem tamen ut ex fonte multo maximae auctoritatis haustum in dubium vocare minime licet. Rursus quum constet maiorem quam duarum legionum fuisse exercitum Livii (cf. locum, quem modo laudavimus, 27, 35, 11, et imprimis c. 38, 9), verisimillimum videtur, Livium — quod Neronem consulem et ipsum fecisse supra iam vidimus — ex compluribus exercitibus sibi copias elegisse, eumque exercitum, quamvis multo excedentem duarum legionum numerum, tamen pro duabus tantum in rationem a Livio inductum nobisque inducendum esse. Oportebat igitur dicere Livium (c. 35, 11): in exercitum e duobus . . . addito urbano eligeret, quos vellet (quemadmodum idem de Nerone dicitur c. 38, 8) — nisi forte praestat existimare, senatus consultum immutatum esse. Sed utut hoc se habet, Livius certe, legionibus, quae in Gallia erant, Porcio praetori integris permissis, optimum quemque videtur elegisse et ex iis, quae anno 544 praesidio urbis conscriptae (26, 28, 13) usque ad annum 547 in Etruria fuerant (27, 7, 10. ib. 22, 5), et ex legionibus urbanis anni 545, quarum alterā per annum 546 Romae remanserat (27, 22, 10), altera imminente tumultu sub Terentio Varrone Arretium missa erat (27, 24, 6). Quem exercitum remoto periculo omnem dimisisse Livium ex Liv. 28, 10, 4. cognoscimus. — Qui autem supererant ex quattuor illis legionibus, ad obsidendam Etruriam tum maxime defectionis consilia agitantem sub Terentio Varrone relicti sunt iisque ad

explendum duarum legionum numerum supplementa adiecta, quae quidem, quum maior quam superioribus annis illo anno dilectus habendus esset, proinde ac post pugnam Cannensem ex voluntariis militibus conficienda erant. Sic enim intellegimus verba Livii (27, 38, 10): „volones in undevicensimam et vicensimam legiones scripti“, ut undevicensimam et vicensimam legiones eas fuisse censeamus, ex quibus partem aliquam Livius sibi sumpserat, ita ut volones qui conscripti erant, illarum legionum numero insererentur; nec Weissenbornio assentiri possumus, qui legiones illas omnino Livio evenisse (ad Liv. 28, 10, 11) censet verbaque illa Livii (c. 38, 10), in eum sensum accipit, ut ex volonibus undevicensimam et vicensimam legionem factas esse easque in locum illarum — Livianarum secundum Weissenb. — successisse existimet. Ceterum recte monuit Weissenbornius, verba Livii: „intulerat mentionem de volonibus ad signa revocandis“, quaeque sequuntur, non satis diligenter dicta neque ad verbum intellegenda esse. Etenim dispersos ac dilapsos Gracchanos volones tum demum, post quinque annos, rursus coactos esse minime probandum aut certe alium magnum numerum iis adiectum censendum est. Quod autem „volonum“ legiones (28, 10, 11) appellantur, quum ideo factum videtur, quia haudscio an maior pars volonum fuerit, tum propter novitatem rei — quemadmodum Gracchi etiam legiones volonum appellavit Livius, quamquam earum vix tertiam partem voluntariorum militum fuisse constat.

Eae igitur legiones anno 547 sub Terentio Varrone (27, 36, 13), 548 sub Livio in Etruria fuerunt (28, 10, 11), unde insequenti anno Ariminum ductae sunt (28, 46, 13. 29, 5, 9), quia rursus incursio per Magonem, fratrem Hannibalis, facta erat. Ibi deinde per annum 550 sub Livio primum, postea sub L. Sribonio praetore (29, 13, 2. 4.), 551. 552 sub M. Cornelio proconsule fuerunt (30, 1, 7. c. 27, 10: ceteris ... prorogata imperia). Anno autem 553 non iam sub armis eas fuisse perspicimus ex Liv. 30, 41.

Legiones urbanas, quas anno 547 Claudius Nero confecerat (27, 35, 12), quo tempore Nero ad auxilium collegae ferendum Senam profectus est, Manlius Acidinus in Umbriam duxit (c. 43, 9. 50, 6, 8). Quae utrum post reditum dimissae novaeque in locum earum conscriptae sint (quod poposcerat Nero 27, 43, 9) an sub armis manserint, parum patet ex Livio; veri tamen similius videtur, novum dilectum factum non esse, quum legione Capua Romam arcessita (27, 43, 8) satis praesidii esset per illud tempus, quo urbanus exercitus aberat. Sed utut haec res sese habet, quae anno 548 in urbe fuerunt legiones, aestate anni 549 in Etruriam missae sunt, quae provincia Livio Ariminum digresso nudata erat (28, 46, 13). In ea deinde provincia usque ad exitum belli fuere (29, 13, 1. 30, 1, 7. 27, 5. 41, 3).

Consularem exercitum anno 550 conscriptum (29, 13, 1) contra Hannibalem in Bruttiis pugnasse narrat Livius (29, 36, 4 sqq.). Insequenti anno item consularis fuit et nonnulla de eo commemorantur (30, 19, 10 sqq.) Deinde vero plane nihil iam de eo invenimus, censendumque est, eum dimissum esse, postquam Hannibal ex Italia decessit. De iis, quae in Bruttiis etiamtum remanserunt, legionibus cf. supra p. 39.

Legiones urbanae anni 551 (30, 2, 6) paulo post dimissae videntur esse; non enim reperiuntur postero anno (30, 27), et anno 553 novas esse conscriptas intellegimus ex Liv. 30, 41, 9.

Enumeratis legionibus, quae in Italia Siciliaque bellum gesserunt iam restant eae, quae in Sardinia et Hispania fuerunt.

In Sardiniam autem, ut in Siciliam, iam anno 537 copias missas esse Polybius (III, 75, 4) et Appianus (c. 8) narrant, quae fuit, si Liv. 23, 34, 13 cum 24, 11, 2 comparamus, legio una, cui anno 539 altera adiecta est. Eae deinde duae legiones usque ad annum 548, quo dimissae sunt (28, 10, 14), in insula remanserunt. In quarum locum

successit nova legio, ex qua anno 551 duo milia militum Gn. Octavio praetori, qui classi ad tuendas Sardiniae oras praeerat, data sunt. Ea legio et ipsa in insula remansit, donec bellum finitum est.

In Hispaniam initio statim belli Scipionis consulis exercitum sub Gnaeo fratre missum esse iam supra commemoravimus (p. 12); qui deinde insequenti anno 537 octo milibus sub P. Scipione missis auctus est (Liv. 22, 22). Victis et interfectis anno 542 Scipionibus Gn. Marcius reliquias exercitus servavit (Liv. 25, c. 37—39), quae, ut concludamus ex iis, quas cum iis gessit, rebus, haud ita exiguae possunt fuisse. Capta vero Capua maiores copiae, sub Claudio Nerone primum, deinde sub Scipione adulescente, viginti quattuor omnino milia, in Hispaniam missae sunt (26, 17, 1. c. 19, 10), ita ut plus triginta milia militum legionariorum in Hispania fuisse appareat (cf. 26, 42, 1). Praeterea Scipioni ex sociis, qui in Hispania erant, accessionem virium factam esse perspicitur ex c. 41, 2. Omnem exercitum Scipionis quattuor legionum fuisse uno tantum loco (27, 36, 12) dilucide Livius dicit; sed compluries non nominatim eo exercitu commemorato tamen numerum quattuor legionum in rationem induxit. Ceterum, quamquam Livius 30, 41, 5 dicit: „is ex duobus exercitibus in unam legionem conscriberet milites“, tamen adducimur ut credamus, si minus ante annum 551, at eo anno imminutum ad tres legiones illum numerum esse, siquidem singulorum exercituum enumerationem cum summa, quam edidit Livius (30, 2. 30, 27) congruere volumus. Ex quibus deinde postremo anno (553) legio una facta est ceterosque milites proconsules domum reducere iussi sunt (30, 41, 5). Quod tamen insequentibus demum annis, nec iam tempore belli Punici factum est.

Iam postquam, quae de historia singulorum exercituum investigari posse videntur, ea cognovimus, ad extremum, quoscunque numeros ordinem legionum significantes apud

auctores — Livium maxime — legimus, nobis percensendi sunt videndumque est, num quam certam rationem Romani in legionibus numeri ordine notandis secuti sint. Et id quidem facile intellectu est, initium eos fecisse numerandi, iis etiam temporibus, quibus vel plurimae copiae in armis erant, a duobus consularibus exercitibus — nimirum quia ante illud bellum duos omnino exercitus binarum legionum sub consulibus emiserant. Quamobrem omnibus fere locis tertiae decadis Livianae, quibus quattuor primae legiones commemorantur, sive consulares sive dictorias eas fuisse cognoscimus [1]). Velut 22, 27, 10 dictatoris exercitum divisum esse Livius narrat. 24, 36, 4 prima legio ea est, quae consuli Marcello — cuius de exercitu est — in Siciliam submittitur. 25, 14, 6 tertia legio Fulvii Flacci consulis est. 27, 2, 7 prima et tertia legio consulis Marcelli exercitum efficiunt. 27, 41, 9. 42, 2 primam et tertiam legionem consul Nero habet. Quod de Cannensi exercitu prima, secunda, tertia legio (22, 53, 1, 2) commemorantur, repugnare minime videtur, quaecunque eae legiones fuerunt, — quod sane perspicere non possumus —; nam universus exercitus Cannensis consularis fuit, nec quisquam praeter duos consules cum imperio in illa pugna fuit.

Iam nonnulli loci nobis respiciendi sunt, quibus primae legiones non consulares fuisse videantur. Velut 22, 57, 8 legione classica — ea legio tertia erat. Quum autem plane perspicuum sit, non posse hanc eandem esse atque illam, cuius reliquias ab Appio Claudio tribuno militum collectas esse Liv. c. 53, 2 commemoravit, sic statuendum nobis videtur, quum iam consularis exercitus nullus exstaret, de integro eas, quae supererant, copias numeris notatas esse, ita ut legiones urbanae prima et secunda, legio classica tertia fieret.

---

1) Polybii *τέταρτον στρατόπεδον* Scipionis consulis fuisse supra (p. 11, 1) iam demonstravimus.

26, 48, 6 legionem quartam invenimus in Hispania. Quod et ipsum mirum non videtur esse. Ut enim iam supra vidimus (p. 7), legiones, quae in Hispania fuerunt, in summa legionum uniuscuiusque anni modo adnumeratas, modo praetermissas esse, ita hoc loco exercitum Hispaniae per se numerasse Livius videtur — quod alias sane non fecit: cf. 29, 2, 9, quo loco duodecimae et tertiae decimae legionis mentionem facit.

Quod denique attinet ad primam legionem, quae commemoratur 25, 21, 6, negari non potest, eam nec consularem illo anno nec omnino unquam sub consule fuisse. Quo loco nisi per errorem lapsus Livius est, haudscio an lectio librarii alicuius manu depravata sit, qui, quum in proximo scripta legeret verba: „in primo instructae", primam legionem pro alia nescio qua posuerit.

Quum igitur primae quaeque legiones consulum fuerint, non autem eaedem semper consulibus evenerint, patet, de integro quotannis legiones numeratas esse. Quamobrem Fulvius Flaccus, qui consul anno 542 tertiam — et fortasse primam, ut per analogiam iudicemus — duxit (25, 14, 6) proconsul sextae legioni praefuit (26, 5, 11). Cui quum exercitus idem relictus sit, ordinem immutatum esse apparet. Perinde, quae legiones sub Marcello consule prima et tertia fuerant (27, 2, 7), sub eodem proconsule duodevicesima et vicesima sunt (27, 12, 14. 14, 3). Porro Livius anno 543 legionem Flacci proconsulis (26, 5, 11), 544 Fulvii Centumali (27, 1, 11) legionem sextam dicit, 29, 24, 13 vero — anno 550 — scribit: quinta et sexta legiones Cannenses erant. Similiter duodecimam et tertiam decimam legionem anno 549 in Hispania (29, 2, 9), anno 551 in Gallia (30, 18, 8. 9.) fuisse cognoscimus. Denique quum 27, 14, 3 legio vicesima Marcelli fuerit, 27, 38, 10 volonum fuisse legiones undevicesimam et vicesimam Livius dicit. Certam autem rationem, qua eae legiones, quae consulum non erant, in ordinem redactae sint,

si omnino Romani secuti sunt, nos certe investigare non possumus

Restat, ut appendicis loco, quicunque exercitus singulis annis in armis fuerunt, in unum conferamus.

536.

			provinciae
AA	2.	P. Scipio cons., Gn. Scipio . .	Hispania.
BB	2.	Sempronius cons.	Sicilia (deinde ad Trebiam).
CC	2.	Manlius, Atilius — Scipio cons.	Gallia — (ad Trebiam).

537.

BB DD	4	Flaminius cons. †	Etruria (ad Trasumennum).
CC	2.	Servilius cons. — Fabius . . .	Gallia, Campania, Apulia.
AAA	3.	Scipiones	Hispania.
EE	2.	(T. Otacilius?)	Sicilia.
F	1.	A. Corn. Mammula	Sardinia.
G	1.	. . . .	Tarentum (?).
		13 legiones: App. Hann. c. 8.	
		post pugnam ad Trasumennum	
HH	2.	Fabius dictator	Campania, Apulia.
I I	2.	urbanae, deinde Postumius . .	Gallia.

538.

CC. HH KK. LL	8	Aem. Paullus † Terentius Varro coss. . .	Apulia (ad Cannas).
I I	2.	Postumius †	Gallia.
MM	2.	urbanae.	
N	1.	classica.	
EE	2.	(T. Otacilius?)	Sicilia.
F	1.	Cornelius Mammula	Sardinia.

provinciae:

AAA 3. Scipiones . . . . Hispania [1]).

post pugnam Cannensem:

aa (= MM) } M. Iunius dictator. } Campania.
bb (volonum }
c (classica) } Marcellus. } Campania.
dd (Cannenses) }

ee
ff 4 urbanae.

539.

aa 2. Q. Fabius cons. . . . . Campania.
bb 2. Sempron. Gracchus cons. . . . . . Campania, Apulia.
c 1. Varro . . . Valerius . . . . Apulia, Tarentum.
dd 2. Appius Claudius . . . . Sicilia.
ee 2. Marcellus (Campania) postea dimissae.
ff 2. (urbanae, deinde) Pomponius . . Gallia.
gg (2), deinde g (1) Valerius — Varro . . Apulia, Picenum.
h (1) deinde hh (2) Q. Mucius . . . . Sardinia.

12 legiones (Liv. 24, 11, 4) praeter ee, quae sub hiemem dimissae sunt. Accedunt iii (3) in Hispania.

540.

aa 2. Q. Fabius cons. . . . . Campania, Samnium.
bb 2. Sempronius Gracchus . . . . . Samnium.
c 1. Valerius . . . . Brundisium.
dd 2. Lentulus . . . . Sicilia.
ee (?) 2. Marcellus cons. . . . . Campania, Sicilia.

1) Litteris aa posthac utemur pro MM, gg pro EE, h pro F, iii pro AAA, c pro N.

			provinciae:
ff	2.	Pomponius	Gallia.
g	1.	Varro	Picenum.
hh	2.	Q. Mucius Scaevola	Sardinia.
kk	2.	Q. Fabius (filius)	Apulia.
ll	2.	urbanae.	

18 legiones: Liv. 24, 11, 4. Accedunt 3 (iii) in Hispania.

541.

aa	2.	Q. Fabius (filius) cons.	Apulia.
bb	2.	Sempronius Gracchus cons. . . .	Lucania.
c	1.	Valerius	Graecia.
dd	2.	Lentulus	Sicilia.
ee	2.	Marcellus	Sicilia.
ff	2.	Sempronius Tuditanus	Gallia.
g	1.	Varro	Picenum.
hh	2.	Q. Mucius	Sardinia.
kk	2.	M. Aemilius	Apulia.
ll	2.	Gn. Fulvius	Suessula.
mm	2.	urbanae.	

20 legiones. Accedunt 3 in Hispania.

542.

aa	2.	Appius Claudius cons.	Capua.
bb	2.	Sempronius Gracchus (†)	Lucania, Samnium.
c	1.	Valerius	Graecia.
dd	2.	Lentulus	Sicilia.
ee	2.	Marcellus	Sicilia.
ff	2.	Sempronius Tuditanus	Gallia.
gg	2.	Claudius Nero	Suessula, Capua.
hh	2.	Q. Mucius	Sardinia.
kk	2.	Fulvius Flaccus	Apulia (deletae).

		provinciae:
ll 2.	Q. Fulvius cons.	Capua.
mm 2.	M. Iunius	Etruria.
nn 2.	urbanae.	

23 legiones: Liv. 25, 3, 7. Accedunt 3 in Hispania sub Scipionibus († hoc anno).

543.

aa 2.	Appius Claudius (†)	Capua.
c 1.	Valerius — Sulpicius Galba . . .	Graecia.
dd 2.	G. Sulpicius	Sicilia.
ee 2.	Marcellus — Otacilius — Cethegus	Sicilia.
ff 2.	Sempronius	Gallia.
gg 2, deinde g (1)	Claudius Nero . . .	Capua, Hispania.
hh 2.	L. Cornelius	Sardinia.
kk	— — —	—
ll 2, deinde *l. 1.*	Q. Fulvius	Capua.
mm 2.	M. Iunius	Etruria.
nn / bb (?)	4 Fulvius, Sulpicius Galba coss. .	Apulia.
oo 2.	urbanae.	

23 legiones: Liv. 26, 1, 13. In Hispania inde ab hoc anno 4 legiones.

544.

aa	— — — — (dimissae ?).	
c	— — — — — —	
dd 2.	Cincius	Sicilia.
nn (?) 2.	G. Lactorius	Gallia.
hh 2.	Manlius Vulso	Sardinia.
ff 2. / mm 2.	Marcellus, Laevinus coss. . .	Lucania, Apulia. (Sicilia.)
bb (?) 2	Fulv. Centumalus (†)	Apulia (deletae).

			provinciae:
oo	2.	G. Calpurnius	Etruria.
pp	2.	urbanae.	
l	1.	Q. Fulvius	Capua.

17 legiones. 21 adnumeratis, quae in Hispania erant: Liv. 26, 28, 13.

545.

dd	2.	Cincius, Valerius	Sicilia.
hh	2.	G. Aurunculeius	Sardinia.
l	1.	T. Quinctius	Capua.
ff / mm	4.	Marcellus, Fulvius cons.	Lucania, Apulia, Bruttii.
oo	2.	Q. Fabius cons.	Tarentum.
nn	2.	Hostilius	Gallia.
pp	2.	G. Fulvius Flaccus	Etruria.
qq	2.	urbanae.	

17 (21) legiones.

546.

dd	2.	Sextus Caesar	Sicilia.
hh	2.	G. Aurunculeius	Sardinia.
l	1.	Q. Fulvius	Capua.
ff / mm	4.	Marcellus (†), Crispinus coss.	Lucania, Apulia. Bruttii.
oo	2.	Q. Claudius	Tarentum.
nn	2.	Veturius	Gallia.
pp	2.	Hostilius	Etruria.
qq	2.	urbanae.	
		(1 ... Roma. 1 Varro ... Etruria.	

17 (21) legiones: Liv. 27, 22, 11.

547.

dd	2.	G. Mamilius	Sicilia.
hh	2.	A. Hostilius	Sardinia.
l	1.	Hostilius Tubulus	Capua.

			provinciae:
ff } mm }	4.	Nero consul. Fulvius . . .	Apulia (Umbria).
oo	2.	Q. Claudius	Tarentum.
nn	2.	Porcius	Gallia.
qq	2.	Livius cons.	Gallia.
pp	2.	(volonum) Varro	Etruria.
rr	2.	urbanae.	

19 (23) legiones: Liv. 27, 36, 12.

548.

dd	2.	G. Servilius	Sicilia.
hh	—	— — — — — —	—
j	1.	Ti. Claudius	Sardinia.
l	1.	Hostilius Tubulus	Capua.
ff (?)	2.	Metellus cons.	Bruttii.
m (?)	1.	Tarentum (?)	Q. Claudius.
oo	2.	Veturius cons.	Bruttii.
nn	2.	Q. Mamilius	Gallia.
qq	—	— — — — — —	—
rr	2.	(an novae?) urbanae.	
pp	2.	Livius	Etruria.

15 (19) legiones.

549.

dd	2.	L. Aemilius	Sicilia.
j	1.	Gn. Octavius	Sardinia.
l	1.	Hostilius	Capua.
ff (?)	2.	Metellus	Bruttii.
oo	2.	Licinius cons.	Bruttii.
nn	2.	Spurius Lucretius	Gallia.
pp	2.	Livius	Etruria-Ariminum.
rr	2.	urbanae, deinde Etruria.	

provinciae:

s [1]) 1. Sempronius . . . . Graecia.

15 (19) legiones. In Hispania Cornelius Lentulus et Manlius Acidinus.

550.

dd 2. Pomponius Matho . . . . Sicilia.
j 1. Ti. Claudius . . . . Sardinia.
l 1. Hostilius . . . . Capua.
oo 2. Licinius . . . . Bruttii.
nn 2. Spurius Lucretius . . . . . . Gallia.
pp 2. Scribonius . . . . Ariminum.
rr 2. Cornelius cons. . . . . Etruria.
s (an m) 1. — — — — — —
tt 2. Sempronius cons. . . . . . . Bruttii.

14 (18) legiones.

551.

dd 2. P. Scipio . . . . Africa.
δδ 2. P. Villius . . . . Sicilia.
j 1. P. Lentulus . . . . Sardinia.
oo 2. Sempronius . . . . Bruttii.
nn 2. Quintilius Varus . . . . Gallia.
pp 2. Cornelius . . . . Ariminum.
rr 2. Servilius Geminus cons. . . . . Etruria.
tt 2. Servilius Caepio cons. . . . . . Bruttii.
uu 2. urbanae.

17 (20) legiones Liv. 30, 2, 7. de Hispania cf. p. 43.

552.

dd 2. Scipio . . . . Africa.
δδ 2. Gn. Tremellius . . . . Sicilia.

---

1) an m. cf. p. 27, 2. p. 35.

			provinciae:
j	1.	Lentulus	Sardinia.
oo	2.	Livius	Bruttii.
nn	2.	M. Sextius	Gallia.
rr	2.	M. Servilius cons.	Etruria.
pp	2.	Cornelius	Ariminum.
tt		— — — — — —	—
nn			

13 (**16**) legiones. Liv. 30, 27, 16.

553.

dd	2.	Scipio	Africa.
δδ	2.	P. Aelius	Sicilia.
j	1.	M. Fabius Buteo	Sardinia.
oo	2.	Valerius Falto	Bruttii.
nn	2.	P. Aelius cons.	Gallia (?).
rr	2.	Servilius	Etruria.
pp		— — — — — —	—
vv	2.	urbanae.	

13 legiones. Accedit una in Hispania:
(Liv. 30, 41, 9) = 14 legiones.

VITA.

Natus sum Carolus Ludovicus Schemann Coloniae Agrippinae a. d. XVII. Kal. Nov. anni h. s. LII patre Ludovico, matre Carolina e gente Nettmann, quos veneror superstites. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis imbutus sum in oppido Rhenano, cui nomen est Koenigswinter, ubi inde ab anno h. s. LIX usque ad annum LXIII habitavi. Ibidem progymnasium per tres fere annos, postea vero quam parentes Coburgum transmigrarunt, per sex annos et dimidium gymnasium Casimirianum eius urbis frequentavi. Testimonio maturitatis munitus anno h. s. LXX Heidelbergam me contuli philologicis studiis operam daturus ibique per tria semestria scholas audivi vv. ill. Bartschii, Koechlyi, Starkii, Treitschkii, Wattenbachii, Zelleri. Deinde interiecto anni spatio, quo stipendia feci, Berolini studia intermissa revocavi et per tria semestria scholas audivi vv. ill. Bonitzii, E. Curtii, Droyseni, Geppertii, Hauptii, Huebneri, Kiepertii, Kirchhoffii, Mommseni, Wattenbachii, Zelleri. Societatibus interfui Mommseni historicae, Kirchhoffii philologicae. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Exeunte hieme ann. LXXIII—IV contracto oculorum morbo domum reverti ibique remansi, quominus, ut proposueram, Bonnae studia conficerem, impeditus, donec mense Februario huius anni Bonnam me contuli ad summos in philosophia honores rite adipiscendos.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. Soph. Ant. v.v. 679—680 spurios esse censeo.
2. Eur. Iph. Taur. v.v. 116/7 cum Bergkio post v. 103 locandi sunt.
3. Tac. Ann. I, 8 — quo loco agitur de testamento Augusti — neque verba „urbanis quingenos“ inserenda sunt neque ‚aut‘ in ‚ac‘ mutandum est. Ibidem auctore Rittero „sestertium“ post „quadringenties tricies quinquies“ inserendum est.
4. Ibid. II, 33 verba: „Erat quippe adhuc frequens .... promere“ delenda non sunt.
5. Tiberius in iis, quae adversus Germanicum instituit, omni vituperatione vacat.
6. Romanorum reges a populo creati non sunt.
